

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Praefatio

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

REVERENDIS,  
 CLARISSIMIS, PIETATE  
 ERVDITIONEQUE PRÆSTAN-  
 TISSIMIS ET OMNI VIRTVTVM  
 genere ornatissimis viris,

D. M. JOANNI HÜTZELINO, Cœnobii Hirsau-  
 gicnsis Præsuli, Visitatori Ecclesiarum Diœceseos Al-  
 tensteig & Liebenzell:

M. JOANNI VÖRINGERO Sturgardiana	} Eccles. Pa- storibus, & vicina- rum Su- perinten- dentibus specialib*:
M. PAVLO RÜCKERO Bôbeingensis	
M. ADAMO SALOMONI Leonbergensis	
M. GEORG. SCHROPPIO Bütigheimensis	
M. MELCHIORI BEVGELIO Vayhingensis	
M. JOAN. HEINR. WIELANDO Knuttling.	
M. LVDOVICO LIPZIG Calwensis	
M. JACOBO SCHOPPIO Gröningensis	}
M. ERHARDO SCHNEFFIO Wildtbadens.	

*Nec non ceteris,*

Subiectarum Ecclesiarum generalis inspectionis Maul-  
 brunnenfis Pastoribus atque Ministris centum sexa-  
 ginta quinque: Dominis, Affinibus, amicis & in  
 Christo fratribus honorandis atq;  
 charissimis,

*Salutem & omnem à Deo felicitatem ex animo  
 precatur.*

FELIX BIDEMBACH D. Cœnobii Maulbrunnensis  
 Abbas, Superintendens Generalis.



ICVT antiquius nullum in  
 terris, ita nec nobilius vn-  
 quam fuit munus, quam Ec-  
 clesiasticum illud quod in  
 præ-

P R Æ F A T I O   E T

prædicatione verbi diuini potissimum consistit. Etenim hoc ipso sanctissimo munere ipse Deus Opt. Max. perfunctus est, cum Protoplastis in Paradiso viua voce concionaretur, Cōmendauit id ipsum etiam postea Patriarchis primæuis, qui tam strenue id administrarūt, vt eo tempore quo Sethus tertius Adami filius natus legitur (Gen. 4. vers. 26.) publicæ congregationes habitæ, & solempnes ad populum tum præsentem exhortationes atque conciones institutæ fuerint. Illud officii genus ad posteros sic propagatum fuit, vt sanctiss. Patriarchis scriptura hanc laudem peculiariter tribuerit, quod concionatores siue prædicatores verbi diuini fuerint. Sic Noha præco iustitiæ appellatur, à Petro Apostolo, 2. Pet. 2. v. 5. Et Abrahamum hoc nomine singulariter commendat ipse Dominus, Gen. 18. v. 19. quod filiis & posteris suis sit præcepturus, vt custodiant mandata Domini. In Iosepho Pfaltes ipsum commendat, quod in Ægypto erudierit Principes & docuerit senes sapientiam, Psal, 105. v. 22.

Neque

## D E D I C A T O R I A .

Neque sane sine ingenti & plane diuino miraculo ab exordio mundi hoc genus officii ( quo pii olim Patriarchæ, post Sacerdotes Leuitæ atque Prophetæ, dehinc Ioannes fidelis præcursor Domini, ipseque filius Dei, eiusdemque Apostoli, eorundem quoque post discipuli & successores, optimi denique & eruditissimi patres perfuncti fuere ) continuo quasi ordine & successione perpetua ad nostra vsque tempora, inter tantos Diaboli & mundi persequentis furores ita conseruatum & ad nos deriuatum est, vt etiamnum per Dei gratiam non desint, qui idem munus sibi à Spiritu sancto commendatum fideliter exsequantur. Quo nomine certe Deo nostro æternas debemus gratias.

Quamuis enim illa verbi diuini prædicatio mundo stulta videatur, placuit tamen Deo, ( cuius stultitia sapientior est quam homines sunt, 1. Corint. 1. v. 25. ) per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Ibid. v. 21.

Eamque quam modo diximus prædicatio-

P RÆFATIO ET

cationem tam necessariam humano generi, Paulus affirmat, Rom. 10. vt cum nec sine prædicante audire, nec absq; auditu fidem & salutem ( loquimur autem de mediis ordinariis ) consequi possint homines, palam affirmet in omnem terram missos esse, qui prædicarent verbum Domini, vt sic omnes audiât, credant & salui fiant. Non n. ignorat Paulus illud Christi mandatum datum Apostolis, Marc. 16. v. 15. Prædicate Euangelium omni Creaturæ. Ideoque Coloss. 1. v. 23. testatur, id factum esse in vniuersa Creatura, quæ sub cælo est.

Quanto autem nobilius atque vtilius generi humano istud genus prædicationis, & munus docendi plebem, tanto maiori nisu hoc semper egit Sathan, vt quoquo posset modo impediret aut retardaret cursum doctrinæ cœlestis.

Aut enim dum messis copiosa fuit, hoc effecit, vt operarii essent pauci, & plures tanquam oues sine pastore errarent hinc inde, Matth. 9. vers 36. & 37. aut hoc tentauit, vt operariis fidelibus ex messe Domini

## D E D I C A T O R I A .

mini sublatis , in eorum locum operarii  
subdoli , 2. Corinth. II. vers. 13. lupique  
crudelissimi, Actor. 20, vers. 29. substitue-  
rentur.

Utque vetera taceamus, quid scilicet  
malignus ille generis humani aduersa-  
rius temporibus Ecclesiæ primitiæ, du-  
rantibus sæuissimis & immanissimis per-  
sequutionibus, & post etiam multis se-  
culis sub Antichristi tyrannide: quidque  
per varios & nonnullos superiori secu-  
lo ex ipsa Ecclesia exortos monstrosos  
hæreticos tentarit: ex hoc vno, quod re-  
centissimum est, facile patet, quam huic  
ordini nostro infestius hostis sit Sathan,  
propter illud, quod prædicamus verbum  
cœlestē: dum ante paucos annos excita-  
uit nouum istud genus hominum, cru-  
dele & superbum, iam vulgo notum, &  
sui quoque ordinis hominibus inuisum,  
in quo non pauci sunt, qui nostrarum  
Ecclesiarum ministros, propter hoc quod  
prædicant verbum D E I, sicut execran-  
tur, vt per summum contemptum illos  
*prædicantes* vocitent, eumque maximis

\*

4

con-

P R Æ F A T I O   E T

contumeliis affectum putent, quem ipsi prædicantem dixerint. Sic foetet, ipsis, sic sordet Euangelii prædicatio. At quid quæso aliud hinc colligi potest, nisi hoc quod piis auditoribus nostris verbi auditum, & quæ est ex auditu fides, atque sic consequenter etiam salutem æternam, à Diabolo ita instigati, inuideant. Dum enim Diabolus per isthæc sua organa synceros Euangelii præcones toti orbi exosos reddere conatur, ostendit manifeste, se nihil magis in votis habere, nisi vt in locum illorū substituantur operarii mali, & canes illi, de quibus Phil. 3. v. 2 à quibus regno suo nihil timet malignus.

Quod si vero contra illi, de quibus diximus, suam operam, quam ipsi Ecclesiæ impendunt, commendare tentent, (vti plenis buccis facere solent) respondebimus nos vicissim, eos ipsos esse operarios illos subdolos, qui se possint in Apostolos CHRISTI transfigurare, 2 Cor. II. v. 13. & 14. sicut & ipse Diabolus in Angelum lucis seipsum haud raro transformat.

Ab his vt caueamus, Christus monet,  
Matth.

## DEDICATORIA.

Matth. 7. v. 15. Licet enim in vestimentis  
ouium veniant, intrinsecus tamen sunt  
lupi rapaces. Ideoque attendendum no-  
bis & cuncto gregi, in quos nos Spiritus  
sanctus posuit Episcopos, ad regendam  
Ecclesiam DEI, quam sanguine suo ac-  
quisiuit. Sunt enim tales lupi graues, non  
parcentes gregi, & viriloquentes aduer-  
sa, Actor. 20. v. 30. qui abducunt ouiculas  
Christi à fonte viuo verbi diuini, Ierem. 2.  
vers. 13. ad cisternas humanarum traditio-  
num: & non raro loco sacrarum concio-  
num illis obtrudunt inanes & supersti-  
tiosas missificationes, & precularum taci-  
tas demurmurationes, vt nec quicquam  
eorum quæ dicuntur aut leguntur, intel-  
ligant: sicque domum redeant omni do-  
ctrina, consolatione vel admonitione de-  
stituti: cum tamen hic explicationis scri-  
pturarum præcipuus & principalissimus  
finis sit, quem illi negligunt: Paulo ita  
pronuntiante, Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 16.

Conciones vero si quas isti habent ita  
instituunt, vt debacchationibus suis in  
Lutherum & Lutheranos, tempus inuti-

\* 5 liter

P R Æ F A T I O   E T

liter & malitiose consumant, sic se perquam probe officio suo defunctos existimantes, vbi Lutheri tam doctrinam quã personam suis auditoribus exosum reddiderint.

Hæc cum ita sint nostri hoc erit officii, vt tanto maiori studio, cura atque diligentia nobis commissum gregem in concionibus sacris ex verbo Dei erudiamus & faciamus officium Euangelistarum, ministerium nostrum ad plenum probatum reddentes, 2. Timoth. 4 v. 5. Nec pudeat nos testimonii Domini nostri I E S U C H R I S T I, 2. Timoth. I. v. 8. sed loquamur quæ decent sanam doctrinam, Tit. 2. v. 1. nec quicquam intermittamus, quod facere potest vel ad exhortandum in doctrina sana, vel ad conuincendum contradicentes, Tit. 1. vers. 9. Et hoc quidem à C H R I S T O accepimus, qui prædicare Euangelium, non autem missificare iussit Apostolos. Sicut nec ipse Christus, nec Ioannes Baptista, nec Paulus, neque Petrus missas celebrasse leguntur: de quibus alias scriptura prodidit, quod fecerint officium

## DEDICATORIA.

cium concionando & erudiendo populum ex sacris scripturis. Idipsum vt omnes Ecclesie ministri sedulo faciant, Paulus Epistolis ad Timotheum & Titum scriptis, sedulo hortatur. Præmium pro labore suo Angelica voce promissum Daniel. 12. expectabunt omnes fideles Doctores, qui multos erudierunt ad iustitiam.

Cum itaque partes officii Ecclesiastici requirant inter cetera, vt sicut de aliis capitibus doctrinæ cœlestis, ita etiam de his, quæ ad artem bene moriendi pertinent, plebs frequenter erudiatur, quomodo scilicet mortem alacriter subire, animam DEO commendare, & mortis quoque antambulones, crucem & calamitates patienter ferre debeant: volui ego quoque Ecclesie minister indignus, Tyronibus in eodem ministerio, hac mea opella gratificari, & quomodo hac in parte populum instruere debeant, viam commonstrare.

Etenim cum hæc materia, de qua diximus, non tantum alias sapius, sed & maxime

P R A E F A T I O   E T

maxime & commodissime in funerum deductionibus tractanda sit, volui Themata illa siue scripturae loca, quae de cruce, morbis, patientia, morte, sepultura, resurrectione, sine seculi, extremo iudicio, & vita aeterna tractant, atque similia huic actui accommodatissima, olim in manuali meo nude posita, iam quoque brevissimis dispositionibus nonnihil illustrata in publicum emittere.

Sicut autem paucis mensibus elapsis edita priori Promptuarii exequialis siue funebris parte, **TRES CENTURIAS** consimilium Thematum cum suis dispositionibus qualibuscunque, pro his, quos supra dixi, Tyronibus praemisit: ita in hac posteriori parte Promptuarii mei funebris, **CENTURIAS DVAS & vltra** pro iisdem in lucem edere volui, vt sic vel tandem nonnullorum ministrorum expectationi satisfacerem, & promissis, vti decebat, starem.

Complectitur autem haec pars posterior Themata illa omnia promiscui generis, quae Classe Manualis mei **DECIMA**,  
iuxta

## DEDICATORIA.

iuxta seriem librorum Biblicorum annotata extant, & omnibus fere funeribus accommodari possunt. Utantur fruantur illis Tyrones, qui melioribus pro tempore instructi non sunt, & qui hac vna mecum simplicitate delectantur.

Quamuis enim magna industria & dexteritate elaborata non sint quæ trado (sum enim meæ tenuitatis mihi probe conscius) à veritate tamen (quod spero) non erunt aliena. Quod si inde vel ad Ecclesiæ ministros, vel auditores minima redundare poterit vtilitas, sat habebō, Deoque meo gratias agam, quod labor meus non fuerit inanis in DOMINO.

Porro, instituti mei rationes quæ fuerint, in editione harum Dispositionum, hoc loco explicare non opus esse iudico: cum id in præfatione primæ partis iam ante lectori exposuerim: quo illum breuitatis causa remitto.

Hanc vero secundam Promptuarii Exequialis partem, pro Tyronibus scriptam, viri Reuerendi Ecclesiarum Generalatus (vt vocant) Maulbrunnensis Visitatores  
& Su-

P R Æ F A T I O   E T

& Superintendentes clarissimi & spectatissimi: Pastores item & ministri doctissimi & vigilantissimi, amici & fratres in Domino dilecti, vobis omnibus & singulis, eadem plane de causa inscribere & dicare constitui, ob quam priorem partem illis, qui tum generali inspectioni meæ (cum Cœnobio Adelbergensi præessem) commissi erant, ante hoc tempus quoque dedicavi & consecraui. Postquam enim diuina ita volente prouidentia, singulari illustrissimi Ducis Wirtembergici, Domini IOANNIS FRIDERICI, Domini mei clementissimi consilio, ad Abbatiam Maulbrunnensem vocatus fui, eandem à vobis etiam, quam ab illis antea benevolentiam & humanitatem, breui hoc temporis interuallo quo fuimus coniuncti, expertus sum. Volui itaque vicissim hoc mei erga vos amoris publicum extare testimonium, ad omnem posteritatem. Vos porro etiam bene de me sperare iubeo: vtque precibus vestris me meaque studia & vocationis labores non exiguos iuuetis, rogo. Ego vicissim

## DEDICATORIA.

cissim omnia, quæcunque à mea tenuitate proficisci poterunt officia, vobis sancte promitto & officiose defero. Humiliter enim agnosco, me à Domino in hac statione collocatum, vt Ecclesiæ & patriæ nostræ communi fideliter, & pro virili, candide atque vtiliter inseruiam. Et sane ego paratus sum, quantum in me est prodesse cunctis, nocere nemini.

Rogo autem Deum aeternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, vt qui nos simul omnes vocauit vocatione sancta secundum suum propositum & gratiam (2. Timoth. i. v. 9) largiatur etiam nobis gratiam spiritus sui sancti, vt ambulemus ita, sicut dignum est vocatione, qua sumus vocati cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantibus nos inuicem per charitatem, studentes seruare vnitatem spiritus per vinculum pacis: Eph. 4. vers. 1. & seqq.) vt sic firmam faciamus vocationem & electionem nostram, 2. Petr. i. vers. 10. vt que nos dignos habeat ista vocatione DEVS noster, & compleat omne bonum propositum

PRÆFAT. ET DEDICAT.

fitum bonitatis, & opus fidei cum potentia, vt illustretur nomen Domini nostri IESV CHRISTI per nos, & nos per illum, iuxta gratiam Dei nostri & Domini IESV CHRISTI, 2. Theff. I. v. 11. 12. Amen.

Scriptum in Cœnobio Maulbrunnensi, in die Felicis, 30. Augusti, Anno 1608.



PROM-